



Wimmelband


U. q. 97.













THOMAS FRANKO  
PROFESSOR  
CANCELLARIUS  
UNIVERSITATIS  
MAGNIFICENTISSIMO  
CANCELLARIO  
MAGNIFICENTISSIMO  
CANCELLARIO



WITTE  
MAGNIFICENTISSIMO  
CANCELLARIO





DISPUTATIO  
PANDECTARVM

*Decima-septima.*

DE BONORVM  
POSSESSIONIBVS,  
OPERISNOVINVN-  
CIATIONE, ET DONATIONIBVS.

*Quam*

*Auxiliante SS. Trinitate,*

PRAESIDE

*Excellentissimo, Clarissimoq; Viro,*

DN. DOMINICO ARV-  
MAEO I. V. D.

*In illustrissima, & celeberrima Academia Ienensi,  
publicè in auditorio ICtor. defen-  
dere conabitur,*

DANIEL VENEDIGER  
Vratislav. Siles.

*Ad diem 30. Martij, hora locoq;  
consuetis.*

I E N A E

Ex Chalcographéo Lithandreano,  
Anno 1602.





*Excellentissimo, Clarissimo, Consul-*  
*tissimoq; Viro,*  
**DN. VALENTINO**  
**GVILIELMO FORSTERI,**  
**IC.<sup>ti</sup> Fil. IC.<sup>to</sup>**

*&*

*Eruditione, prudentiâ, consiliisq; praestantissimo,*  
**Dn. IOHANNI KRETSCHMARO,**  
*inclytæ Reipub. VRATISLAVIENSIVM Scabinatus*  
*Adfessori, & Notario dignissimo,*

*Præceptoribus, & fautoribus meis summe*  
*colendis,*

**ET**

*Humanitate, & eruditione ornatissimis,*  
**DN. M. TIMOTHEO VLRICI,**  
*in illustri Leucori Medic. Candid.*

**DN. FRIDERICO Hordledern/**  
*in celebri SALANA, Iur. Candid.*

*amicis meis ex animo,*

**IN**

*Grati animi indicium,*  
*Benevolentiae testimonium,*

*Do, dico, confecro,*

**DANIEL VENEDIGER**  
*Respond.*



AD DANIELEM VENETVM PV-  
blice disputantem.

I.

FORSTERIANI pulchris forme  
Fragmen colossi DANIEL,  
Ecquas nuperè  
Dissensiones excitasti  
VENEREM inter & THEMIS,  
Festivas Deas.  
Illa: est meus; vultus figuram  
Confidera, & frontem auream.  
At contra THEMIS:  
Ille est meus. Quid tu figuram?  
Pendenda vis est ingeni,  
Et pectus sagax.  
PHOEBVM arbitrum fecêre tandem,  
Dijudicandum cui foret  
Eccûi cederes,  
At ille: Quid vos occupatas  
Tenet? Sit interim THEMIS,  
Sit totus tuus.  
Dum fortean quandoque Cypri  
Tibi ipse sese mancipet:  
Atque hæc censeo.  
Quam nunc es auceps cautus huius  
Sententiæ, quum strenuè  
Vni militas  
Divæ THEMISTAE? Pol coronam  
Victricem ab hac mereberis  
Hoc pacto: ominor!

Iustus Zinzerling Eschenbergensis  
LL. St. & P. L.



II.

DANIEL VENEDIGER

Per ἀναγκασμῶν

I LENI, GNAVE REDDE.

**C**æsarei sumens versare volumina Iuru,  
Eximia tractat dapsilitatis opus,  
Vtilis esse sibi, Patriæq̄, suisq̄, laborat,  
Turba latret quoties litigosa foro.  
Dic age, dic Daniel qualis sis docte futurus,  
Si Iustæ perges invigilare Deæ?  
Nonne decus magni mirabile Iure-periti  
Expressum mirâ dexteritate dabis?  
Auguror: augurio nec falsa subesse verebor,  
Exstabis multis anchora tuta reis.  
Porro alacrem te post præbe, miserumq̄, gravamen  
I LENI, GNAVE REDDE cuiq̄, suum.  
Bartolus & Baldus sic dent aliquando caballos,  
Sic Themidos tangas culmen honoris ope.

Theod. Sitzman, Tyrig. Poëta Coron.

III.

**Σ**οὶ ὄνι μισάων γλυκεράτα ἔργα φιλένι,  
Μηδεμία παρέχη ἠδυπάθεια τριβῆν.  
Αἴλιον ἐσι παρὸν. σοὶ δρεσίτεχνον Ἀθήνη,  
δὴ βασίλισσα ἀεὶ πρὸς τὰ ἀπαντα ἔφου.  
Σ' ἐκαλέγην πόσι καὶ βρώσι ἐμμεν' ἐταῖρον,  
Ἐξαμελῆνα κόρην ἀγλαόμορφον ὄλωσ.  
Αὐτὰρ ἔχην σ' ἐδὲν μελέδημα νεώτερον ἄλλο  
Ἀν' ἐραίης ἀρείης γνώσι ἠδ' ἐνόμων.  
Τῆτο θέλημα πέλῃ Ἀσραίης πᾶλλον ἄριστα,  
δωσέσης ὀπαδῶ σοὶ τὰ ἔπαθλα ταύχ.

ἀντεχεδίασε Βησαυεντινα Βαυερ  
Reinhardt. LL. St.



# DISPUTATIONVM PANDECTARVM

Decima septima,

Quam

PRÆSIDE

D. DOMINICO ARVMÆO

I. V. D.

*Publicè in Auditorio Ictorum defendet*

DANIEL VENE D I G E R

Vratislaviensis.

I.

Ad l. 3. §. 8. de bonor. possess.



*Itemè bonorum possessio alia edictalis, alia decretalis.*

Communis Dd. opinio adfirmat (Sichard. post veteres. ad tit. C. qui admitt. ad bonor. poss. in rubr. n. 24. Fach. 5. contrav. 73. Don. 7. comment. 14.) putat enim edictalem esse, quæ per prætorem mortuum ex suo edicto defertur, Decretalem, quæ ex edicto prætoris vivi defertur, atque ita illam ius quærendum, hanc ius quæsitum respicere, non rectè. 1. quia sic saltem ex accidenti vel respectu temporis differrent, cum tamen notum sit species essentia differre debere l. fin. C. de fid. instrum. 2. quia si edictalis bonorum possessio non petatur, diebus certis non finitur, l. 1. §. quibus l. 1. de success. edict. ut & decretalis d. l. 1. §. decretalis, hoc tamen si communem illorum sententiam sequeremur, impossibile foret, quandoquidem per lapsum temporis primo semper edictalis amittent.

R

amitteretur, & ea finita decretalis petendæ ius ne quidem superest, quod omnes concedunt, cum per edictalem ad decretalem perveniatur, idè decretalis diebus nunquam deficeret, edictalis tantum, contra d. l. 1. §. decretalis. Ergo una erit bonorum possessio, interdum ex accidenti varians & eodem modo defertur, si enim causa non habeat controversiam, rectè ex edicto quis in possessionem mittitur. Si verò controversia oriatur, ut quia adversarius petenti non decernendam possessionem contendit, tum ex decreto missione opis erit l. 2. §. dies. quis ord. in bonor poss l. filium §. si quis contra de legat, præstand. l. 1. §. nepos, ff. si quis à par. fuer. l. 1. §. si ea ff. de vent. in poss. mitt. quam sententiam impugnare videntur argumenta Gyphanij in tract de divis. iur. th. 54. 1. quia decretalis non potest dici edictalis: quia decretum ab edicto differt. 2. Edictalis non decernitur, sed datur ex edicto, aliud est autem edicto, aliud decreto dare seu restituere. 2. Decretalis sive cum contradicte, sive absque eo discerni solet, quibus respondere mediocris ingenij est. II.

Ad l. 4. §. 1. de bon. poss. contr. tab.

*Deturne patri præterito à filio emancipato habente liberos querela, vel bonor. possessio contra tabulas?*

Vid. de hac q. (Dd. ad l. 14. Idè inoff. testam. Ruben tract de inoff. testam. c. 3. n. 3. Vigl. n. pr. n. 4. de inoff. testam. VValth 1. miscell. 17.) nonnulli querelam ei competere volunt. 1. quia d. l. 14. de inoff. test. dicit patrè ad querelam vocari. 2. Quia non datur ei bonorum possessio contra tabulas cui aliquis præponitur in successione d. l. 4. §. 1. de bonor. poss. contr. tab. Sed liberi præferuntur patri in successione filij emancipati. Semper enim potior est causa descendendum. Et per consequens non bonorum possessio, sed querela parenti dabitur. 3. Quia quoties aliquis præteritur, qui in potestate testatoris non est, cessat bonorum possessio d. l. 4. in fin. de bonor. poss. contr. tab. Pater autem dici non potest in filij potestate. Ergo. Plurimi e contra bonorum possessionem ei largiantur per l. si proponas 23. ff. de inoff. testam. quæ concedit filio emancipato bonorum possessionem contra tabulas. cur non igitur & patri? quod & vulgaris argumentatio à correlativis confirmat, & patri tribuendâ in casu proposito vult l. 1. ff. si quis à parent. & hanc opinionem pluribus confirmat d. loco Ruben num. 5. VValth. d. c. 17. quid igitur? annon dici poterit utrumque remedium parenti competere, & in electione eius esse quo voluerit

erit experiri? nec facit, quod querela contineat remedium sub-  
sidiarium. ¶ 1. inst. de inoff. testam. l. final. C. de lib. præter. nam  
& contra tabulas possessio habet extraordinarium remedium,  
ex quo cum ista remedia ambo sunt extraordinaria & ad idem  
tendant, non est absurdum elective concurrere, vid. Rub. c. 4.  
in pr. de querel. inoff.

III.

Ad l. final. C. qui admitt. ad bon. poss.

*Num bonorum possessio hodie etiamnum decretum  
requirat?*

Gloss. in d. l. final. C. h. t. negat, communis Dd. schola  
sequitur testibus Grasso in ¶. bonorum possessio q. 6. n. 2. Bell.  
4. supputat. 1. Fach. 5. contro. 74. Cuiac. 17. observ. 19. quam  
post alios impugnat Alciat. 2. paradox. 13. ego contra Alcia-  
rum communem sequor, quia in bonorum possessionem mitte-  
re mixti imperii est, l. 3. de iurisdic. (dixi disp. 1. q. ult. requirit  
enim decretum, per consequens & apud eum magistratum sal-  
tem fiet qui eius imperii seu decreti interponendi ius habet, hoc  
est, prætorem vel Præsidem lne quicquam ¶. ubi de offic. pro-  
conf. l. 26. ¶. 1. ad Municipal. verum nunc constat ex d. l. final.  
etiam apud Duumviros & quoslibet iudices, petitionem mis-  
sionis fieri posse, qui tamen decreti interponendi ius non ha-  
bent, neque ea quæ sunt mixti imperii d. l. 26. ¶. 1. Et per conse-  
quens nullum requiritur decretum, vnde & d. l. final. requirit,  
qualemunque testationem amplectendæ hereditatis. Ergo  
non decretum, quia decernere est cognitionaliter statuere, l. 1. de  
constit. princip. l. pen. de off. prætor. l. 3. in fin. ff. quod quisq. iur.  
& decretum dicitur quod causa cognita statuitur, pronuntiatur,  
l. 1. de offi. adless. l. 3. ff. minor. l. 7. in fin. de pact. l. 2 & 3. ff. de con-  
fir. tutor. unde non nisi pro tribunali, non etiam de plano inter-  
poni consuevit, l. 7. in fin. de confir. tut. l. 3. ¶. si causa ff. de bon.  
poss. quod plurimum confirmatur ex ¶. final. inst. de bon. poss.  
dum statuit, quocumque modo se admittere bonorum possessi-  
nem in iudicio ostenderit, plenum consequatur eius benefici-  
um verum si requireretur adhuc decretum, non solum animi iu-  
diciam eam admittentis sufficeret, quid? annè Iustinianus in l.  
ult. ¶. nos autem C. de curat. furios. satis per temporis præteriti  
adiectio, abnegat præsens, dum ait. Quæ antè ex DECRETO  
DABATUR &c. Alciatus ex verbis d. l. final sic arguit. Ca-  
ptiones inanium verborum excluduntur per Constantinum.  
Ergo non decretum, quoniam sine causæ cognitione & absq;  
R 2 ulla

ulla verborum captionē interponebatur, verum ut rectè notavit Accurs. Constantinus loquitur similitudinariè, ut enim idem sustulit captiosas formularum solennitates l. 1 & 2. C. de form. imper. ita & in d. l. ult. tollit omne decretum, 2. opp. dicit Iustinian. in d. l. ult. q. nos itaque C. de curat. furios. Petitionem bonorum possessionis à Constantino sublatam esse, verum nihil commune habet petitio cum decreto. R. Bellon. d. loco id falsum esse, quoniam petitio fiebat, ut Prætor posset super ea causæ cognitionem adhibere, & deinde decretum interponere, si res postulabat: sed cum nulla fiat petitio, super quo cognosceret Prætor, aut decerneret? Sublata itaque petitione, necessario sequitur sublatum decretum. 3. Opp. Iustinian. in d. l. ult. q. nos itaque comparat illam bonorum possessionem ei, quæ furioso decerni solet, verum illi non datur bonorum possessio absque decreto. Ergo. R. Bellon. d. loco & c. 2.

IV.

*Queritur an hodiè bonorum possessiones adhuc sunt necessariae?*

Communiter volunt competere quidem volentibus sed necessariam non esse (ut dicit Oldendorp. class. 5. act. 6.) quamvis communior videatur opinio multis etiam casibus necessariam esse (Grass. q. bonorum possessio. q. 5. Schneid. in tit. inst. eod. q. cum igitur n. 10. & seqq. Sichard. ad rubr. n. 6. C. qui admitt. ad bon. poss.) ut si filius emancipatus præteritus velit contra tabulas patris possessionem petere (Grass. d. loco n. 2. Schneid. eod.) licet enim hodiè differentia emancipationis quoad successionem ab intestato sublata sit, non tamen quoad succedendum ex testamēto (Sichard. d. loco n. 8.) ubi addit secundū casum, de viri & vxoris successione (Gra. d. loco n. 8.) qui & plures, in quibus bonorum possessio obtinet, recensit (Schneid. d. loco) nec his adversatur q. final. inst. h. t. Ne quis (ait Imp.) pro petenda bonorum possessione curet, nam ut rectè Oldendorp. d. loco ait, vetus bonorum possessionis solennitas sublata est, at non simplex quædam imitatio, ut hæres sese magistratui insinuet, petatq; auxilium in his, quæ illi fortè, ne ad hæreditatem apprehendendam perveniat, de facto obstant, l. fin. C. qui admitt. ad bon. poss.

V.

*Ad Titulum de collatione bonorum.*

*Cur collationi inter ascendentes non est locus?*

qua



qua de re etsi nostri dissentiant (ut videre est ex Vital. Nemausense tract. de collat. q. 20. Siachard ad rubr. C. de collat. n. 11.) placet tamen mihi Baldi opinio in l. si emancipati C. h. t. id ipsum quod in thesi volumus adstruentis, est enim materia collationis exorbitans à regulis iuris communis, ut eam sine expresso textu extendere non liceat l. illam C. h. t. neque argumentum à correlativis quicquam movet, quoniam eorum hoc in casu diversa est ratio. Ascendentibus enim non debetur hereditas, ut liberis, commiserationis saltè ratio illos turbato mortalitatis ordine admittit l. scripto ff. und. lib. cui etiam satisficit licet unus eorum plus minusve consequatur, liberis autem iure naturæ debetur, quod omnem inæqualitatem respuit, & quasi domini dicantur paternorum bonorum l. in suis de lib. & posth. ita ut inter dominos inæqualitas maximè reprobatur, sic etiam inter liberos, quæ & ratio introductæ collationis præcipua est l. 1. h. t. arg. l. 77. q. 20. de legat. 2. l. 17. C. h. t.

VI.

At l. 13. C. h. t.

*Num simplex donatio sit conferenda.*

quæ ita dicitur respectu donationis propter nuptias, dotis & confertur vel in eum qui tempore donationis erat in potestate, vel emancipatus, priore casu, supervacanea omnis quæstio est, quia momento eo quo donat parens ad eum revertitur l. 1. q. 1. ff. pro donat. nec est quod quis cum turba nostrorum regerat, donationem morte patris confirmari l. donationes quas C. de donat. int. vir & uxor. ea autem quæ post mortem patris acquiruntur in collationem non veniunt l. nec emancipati C. de collationib. (Fachin. 5. controvers. 80.) nam præsuppositum illud à me non admittitur, qui sciam correctionem veteris iuris eo portendi, quæ vel ipsis Dd. inculcantibus, studiosè vitanda erit, & miserum est à silentio generali ad speciale mortis argumentari reclamantibus tot iuribus, sed ut largiamur nostris quod volunt, & ut ipsis concedamus morte tanquam silentio perpetuo confirmari donationem, hoc saltem obtinebunt, id ex Iustiniani d. l. donationes quas. demum introductum esse, quod & ipsi concedunt omnes. Rectè, non itaque appositè satis eam ad l. filix C. famil. ercisc. l. 13. Cod. de collat. in quibus huius rei summa est, extendunt, respectu itaque habito ad tempus latarum dd. ll. illud in usu ius erat, non morte patris confirmari donationem d. l. 1. q. 1. pro donat. & hinc lux clarissima affulget legi 13. C. h. t. quam crassa nimis correctione violavit d. loco

R 3

Fachin.

Fachin, ut nec Græcorum commentum placeat, de quo Cuiac. 9. observat. 17. quod nec superiori isti critico placet, sed plūbeis planè rationibus. Cuiacium non sequor, ut superiora indicant, quæ facilem huius rei explicationem continent, qua enim ratione præcipuum postularer fundum in d. l. 13. Soror, cum donatio nullius planè efficaciam fuerit? quod nec impugnatur d. l. filia 18. C. famil. ercisc. quia iuridicum est, eam accipere de filia quæ post comparisonem emancipata fuit, iuxta l. donationes. 31. q. 2. ff. de donation. Et nunc ad emancipatum transeo, de quo ita firmiter concludo eum non teneri simplicem donationem conferre d. l. filia 18. & illud in fin. C. de collationib. sive illa donatio facta sit in potestate constituto, & passus fuerit res donatas penes eum manere, quæ est species d. l. filia 18. l. 31. q. 2. de donat. sive iam emancipato hoc enim casu, quia donatio firma est, non magis quàm quivis alius extraneus ad collationem urgebitur, d. l. illud in fin. C. h. t.

VII.

Ad tit. de oper. nov. nunt. ad l. 1.

*An impunè sperni possit nuntiatio, si notorium sit nunciatores ius nuntiandi non habere?*

Negat Cuiac. 9. obs. 17. motus l. 1. in pr. l. 20. q. 1. h. t. quas ego in casu dubio accipio, quæ cōmunis est opinio Bart. Ias. in l. 1. h. t. & antè eos Speculator in tit. de nov. oper. nunt. n. 6. & sic stabilitur 1. constat si fructuarius domino nuntiaverit, nuntiationem inutilem esse l. 2. h. t. 2. qui in mari vel in littore ædificat, à nemine nunciando prohiberi potest, l. 1. q. quod si 18. h. t. 3. si plarium dominorum rei opus noceat, non sufficit unum ex socijs nuntiare l. 5. q. si plarium 6. h. t. quorum omnium is effectus certissimus est, ut contra huiusmodi prohibitionis pergere in ædificando liceat. 4. quia quoties vitiosè nunciatum est, non videtur nunciatum, arg. l. 6. ff. qui satisdar. cogunt. ubi Glossa format hanc regulam, quod non refert, an aliquid non fiat, vel minus benè fiat l. ubi in fin. ff. de edend. l. quamvis q. si convenerit ad Sctum Velleian. l. 1. q. pen. ff. quod cuiusque univers. l. 1. si quis in ius voc. non ierit. l. 1. de adempt. liber, & in proposito rectè dicit Panorm. in c. 1. n. 10. extr. h. t. non esse verosimile iura figmentis, delictis & deceptionibus locum dare velle, imò iniurias prohibere l. si maior C. de Præscr. vendit. l. meminerint. C. vnd. vi l. 1. C. de his qui ven. ætat. impetr. nec præsumendum Prætorem amante n æquitatis, voluisse nuntiationem eviden.

evidenter & notoriè iniustam, ligare ædificantem (Geil. 1. obs.  
16. n. 4.)

VIII.

Ad d. l. 1. §. si quis ædificium 13. h. t.

*An vetus ædificium reficienti novum opus nunti-  
are liceat?*

Negat post Accurs. Bartol. ad d. l. 1. §. 13. quia reficere  
non continet ædificationem vel destructionem, quæ duo lo-  
cum faciunt huic edicto d. l. 1. §. opus novum 11. h. t. 2. quia  
non fit species novi operis, quando est opus l. stipulatio §. opus  
h. t. Affirmat post Dyn. Duar. c. 2. de oper. novi nunt. 1. quia  
reficiens de novo facere videtur, l. 1. §. deinde ff. de rivis. 2. quia  
domus resecta alia domus videtur l. inter stipulantem §. sacrum  
in fin. de Verb. oblig. 3. quia l. 5. §. si quis rivos, huius t. vult  
propter publicam utilitatem contemni operis novi nuntiatio-  
nem, si quis rivos reficiat, frustra autem id diceret, si adversus  
reficientes locum non haberet novi operis nuntiatio, cur enim  
hanc causam exciperet, ut propter publicam utilitatem liceret  
reficere? quæ sententia plausibilis est; impugnatur ratione d. l.  
1. §. si quis 13. h. t. Hic enim non novum opus facit sed veteri su-  
stinendo remedium adhibet, quæ vel maxime refectioni appli-  
cari potest, ergo id addimus, si ea refectione nova rei facies in-  
ducatur quod plenius explicat Duar. c. 2. h. t.

IX.

Ad l. 5. §. meminisse eod.

*Queritur cur possessionem amittat is qui verbaliter  
nuntiat, non verò qui alio modo prohibet?*

d. l. §. 5. meminisse 10. h. t. videtur enim hoc contra ratio-  
nem iuris receptum, cum nunciatio, fiat sui iuris conservandi  
gratia l. 1. §. 16. h. t. Ergo ex ea sequi non debet iuris amissio  
& privatio argum. l. quod favore C. de ll. est autem gra-  
ve possessionem amittere, §. commodum inst. de inter-  
dict. Respond. Glossa quia meticulous videor, & eam  
deserere, secus ubi audacter per lapilli iactum vel per  
Prætores, quæ ratio Bartolo displicet, quia modica est  
audacia (inquit) lapillum iactare, putat Vaud. 1. varian.  
quæstion.

quæstior. 53. non ita intelligendum ut nuntiatio possessionem transferat, neque enim verbis possessio transfertur l. cum hæredes in pr. l. qui universas ¶ quod per colonum de acquir. poss. sed ut sequente demum satisfactione, proindeque remissione habita, possessor intelligatur hoc ipso constitui; l. si alius ¶. ait Iulianus, ff. quod vi aut clam l. 1. ¶. quæsiu ff. quor legator. tunc enim quasi ex voluntate nuntiantis, cui satisfato cautum est, incipit ædificator possidere, estque satisfatio pro possessione l. qua ratione ¶. interdum de acquir. rer. domin. iunct. l. stipulatio ¶. 1. de oper. nov. nun. neque dici potest vi aut clam possidere. Aliter Horom. 2. obs. 4. putat possessorem constitui cum in suo vel publico ædificat, l. 7. ¶. si paciscar, de pact. ideoque in d. l. 5. ¶. meminisse, mendum subesse contendit in verbis, id est; **PER LAPILLI IACTVM**, denique rem aliter explicat Duar. ad d. l. 5. ¶. meminisse, quia permittitur ædificare ei qui scit eum cui nuntiat posse ædificare, non videtur habere animum possidendi, nisi aliud appareat, possessio amittitur solo animo l. 3. ¶. in amittenda, de acquir. poss. In alijs prohibitorijs non est locus satisfactioni aut remissioni, nullo id iure cautum reperitur. Prætor in edicto loquitur de nuntiatione l. 1. in pr. l. 20. h. t. at nuntiatio ab alijs duobus distinguitur. Prohibitio prætoriam nuncquam vocatur nunciatio.

X.

**Ad l. unic. C. eod.**

*Num. l. unic. C. de nov. oper. nuntiat. deroget iuri veteri?*

Si is cui nunciatum erit satisfecerit, repromiseritve aut per eum non fieret, quo minus boni viri arbitrata satisfecerit, repromittatur, perinde est ac si novi operis nunciatio omissa esset l. 5. ¶. si is cui 17. de oper. nov. nunt. l. 20. ¶. 5. eod. estque eam in rem interdictum, cuius formulam proponit d. l. 20. ¶. 9. h. t. quod ex Iustiniani constitutione in d. l. unic. h. t. vel ut in alijs Cod. in l. final. Cod. de ædific. privat. paulo immutatum contra nonnullos puto (vid. Bartol. ad l. 20. ¶. 5. h. t. Accurs. ad d. l. unic. C. h. t. Duar. ad l. 5. ¶. si is cui h. t. Alciat. in l. 1. h. t.) quæ vult satisfactionem intra trium mensium spatium, intra quod negotium hoc terminabitur, non necessario à nunciante suscipi, quod si propter aliquod impedimentum ad decisionem ambiguitatis perveniri nequeat, poterit prohibitus dato fideiussore in ædificatione pergere. ut si rectè ædificaverit, omne opus quod post denunciationem fecerit, suis sumptibus destruat, quæ sententia manife-

manifesto iuris canonici textu comprobatur c. fina. extr. de nov.  
oper. nunt.

XI.

Ad l. inquilino, 33. de dam. infect.

*Damni infecti cautio actione non officio iudicis pe-  
titur.*

Etsi in diversa abeant Bartol. Accursi. & Dd. in d. l. inquilino 33. h. t. contra manifestissimam d. l. inquilino 33. & l. 5. ne quid in loc. publ. sententiam, ijs enim in locis de actione pro cautione interponenda, non de damno dato agi plusquam manifestum est, & evidenter d. l. 5. probat, ubi Ictus ait actionem dari ut de noxa caveatur si rivus per publicum locum ductus alicui nociturus sit, ex quo illud primo resultat, privato cui nociturus est rivus, actionem dari, deinde ad illud dari ut de noxa, id est, damno futuro caveatur, quod nisi per damni infecti cautionem fieri nequit, nec recipienda Accursij doctrina, utcumque eam cum Bartolo nostri sequantur, ibi agi de restitutione seu de resarciendo damno dato, si enim de resarciendo ageretur, quorsum quæso cautione opus erat? annon restitutio damni petenda erat, non ut in textu dicatur, de noxa futura cautio? ita ut Azo optimè eum textum interpretatus sit, dum verbum NOCEBIT explicat, id est nocere potest, alias non cautione, sed actione opus esset, opponitur l. 5. de verb. Ob. quæ statuit damni infecti stipulationem à mero Prætoris officio proficisci, verū considerandum est, non eo in loco quærere Ictum quo iure vel quo remedio petatur, sed quo modo & quo iure expediatur, quæ planè diversa sunt. Cautio quidem damni infecti actione petitur, sed iurisdictione seu officio Prætoris expeditur vt loquitur Vlp. in l. qui bona. quidam de dam. infect. vtrumque igitur verum est, & damni infecti actionem à Prætoris officio proficisci, scilicet si magistratum spectes, & iure actionis, si ius partes. Illud observare convenit, in allegato textu nihil minus probari quàm officio iudicis peti damni infecti cautionem. A Prætoris enim non à iudicis officio eam proficisci dicit, quæ duo inter se multum differre hac præsertim materia ex d. l. 5. in princ. manifestissimè constat, cum si illud discrimen tollas, Iudiciales quoque & Prætorias stipulationes inter se confundi certum sit, de quib. Cuiac. Duar. ad d. l. 5. reliqua ab Accursio & sequentibus ad suæ sententiæ confirmationem adducta, nostra relatione indigna sunt, illud dignius, Vnde hæc actio descendat? cui rei lucem præbet d. l. 5. ne quid in loc. publ. quæ eam

R r

exl.

ex l. 12. tabularum descendere innuit, cui & illud notari par est, illud caput in ll. 12. tab. ut quis de damno infecto caveret, hoc modo vel circiter conceptum. De damno quod factum non est, fieri tamen speratur, caveto.

## *Ad materiam de Donationib.*

XII.

### *Ad l. 7. §. 4. de donation.*

*Qua ratione permittitur filiofam. consensu patris mortis causa donare?*

d. l. 7. §. 4. h. t. quia testari ne quidem patre permittente potest l. 6. ff. qui testam. fac. poss. in ratione diversi iuris reddenda plusquam ineptiunt nostri. communis est, quod testamentum cum sit ultima voluntas; non potest ex alieno arbitrio pendere, donatio vero in alterius arbitrium conferri potest incidunt Dd. in vitium illud, cuius Ictus prædones insinelat in l. 12. ff. de petit. hæred. qui interrogati cur possideant, respondent, quia possidemus, hoc est, principium repetunt, faciuntque rationem dicti eandem cum dicto, quæ summa vanitas est, quid enim si longius processerimus, & rationem rationis dictæ quæsierimus? sic dico, donari non potest, nisi id, quod eius sit; qui donat l. 9. in fin. h. t. l. 14. C. h. t. filiusfam. autem nihil habet, quod donare potest, non profectitium peculium, quia non ad hoc ei conceditur ut perdat, d. l. 7. in pr. h. t. non adventitium, quia patri usumfructum subvertere nequit l. 6. C. de bon. quæ lib. per contrarium igitur si filio quid concesserimus poterit & donare l. 7. §. 9. item videamus 2. h. t. quod fit si pater ei consentiat, utpote de cuius præiudicio agitur d. l. 7. §. 2. 4. h. t. at in testando non ea consideratur ratio, sed ea, quia testamenti factio iure publico conceditur l. 3. qui testam. fac. poss. quod pater sua concessione evertere nequit §. 1. inst. quib. non est permitt. l. 6. qui test. fac. quod ut verissimum in specie istius adventitij peculij, cuius pater usumfructum non habet Nov. 117. c. 1. videre est, quod ut maximè & proprietate & usufructu filij est, non tamen de eo testari poterit l. penult. C. qui test. fac. poss. (dixi disput. 15. q. 4.) id tamen mortis causa donare posse mihi verius videtur, cum ratio usufructus hoc in casu nulla haberi possit.

XIII.

### *Ad l. 22. eod.*

*Eum qui donationis causa pecuniam, vel quid aliud promissit de mo-*

de mora Solutionis, pecuniæ v̄suras nō debere: summæ æquitatis  
est, cū in bonæ fidei contractibus donationis species nō depute-  
tur, verba sunt Modestini in l. 22. h. t. ratio hypothese annexa in  
dubium vocatur ex l. Seia. ff. de mort. causa don. quæ innuit iu-  
diciū, quo hæredes Lucii Titii contra Seiam experiuntur, bo-  
næ fidei esse, placet superior Modestini definitio, nec enim do-  
natio contractuum numero associari potest, nisi vel per stipula-  
tionē, vel per contractum innominatū do ut facias, fiat (Borch.  
in tr. de pact. n. 14. c. 1.) quæ, ut causæ donationis, cum stricti iu-  
ris sunt, non poterit non donatio veluti effectus eiusdem iuris  
censeri, nec movet d. l. Seia. quam explicare voluit Cuiac. 3. obs.  
17. sequuntur Gilb. Regius *in v. 2. 8. Pac. 6. in v. 7. 80.* mihi vi-  
detur illo textu aperte, id quod volumus, confirmari, modo id  
primum obtinuerimus non rectè Dorotheum, Cuiac. Reg.  
Pac. & alios ex eo textu collegisse, semper doli exceptionem op-  
positam bonæ fidei iudiciū facere, 1. quia sic ex iudicio & vo-  
luntate privati non legis dependeret contractum strictum vel  
bonæ fidei facere, quod tamen ut absurdum rectè colliges ex q.  
actionum, ibid V Vel. inst. de action. 2. quia contractus stricti  
iuris & bonæ fidei specificè differunt, & probant omnes per d.  
q. actionum inst. de actionib. Cuiac. 17. obs 37. hoc autem modo  
si per oppositionem exceptionis doli bonæ fidei fierent; non  
specificè sed ex accidenti differrent, quod neq; logicum neque  
iuridicum est, & absurdum hoc consequeretur omnes stricti iu-  
ris contractus in bonæ fidei transmutari, quoniam in ijs doli ex-  
ceptio necessaria est, alioqui ex natura iudicij & ex lege con-  
tractus condemnari oporteret eum, qui tamen ex æquitate & bo-  
næ fide non condemnandus esset, ut scribit Cic. in partit. ora-  
tor. ex nostris Duar. ad l. 7. de pact. Ant. Fab. 9. dec. 1. quinimò  
ut iudiciū sit bonæ fidei vel stricti iuris ex initio intentatæ  
actionis & formulæ à Prætorè præscriptæ dependet (Duar.  
d. loc.) & per consequens ex post facto scilicet excipiendo fie-  
ri nequit, est enim exceptionis elidere & excludere actionem  
condemnationemque eamvè minuere, non autem mutare vel  
formam vel formæ qualitatem iuxta exceptionis definitionem  
l. 2. l. 22. de except. quod nominatim quoq; ad doli mali exce-  
ptionem refertur l. 4. q. si quis autem 29. & tot. tit. de dol. mal &  
met. exce. causam opinioni huic dedit malus intellectus d. l. Se-  
ia. cuius post Dd. cum sanam dederit Gœd. de contr stip c. 8. n.  
31. omittimus, eo addito, quod superiorib. addi debet, oppositi-  
onem bonæ fidei contractus, cuius mentionē facit d. l. Seia. vers.  
bonæ fidei autem, satis, in superiore casu actionem stricti iuris  
institutam fuisse, arguit, R r 2 Ad

## Ad l. 27. eod.

*Queritur quanam sit ratio dubitandi in specie l. 27. de donat?*

Attilius vel Aquilius Regulus iuvenis ad Nicostratum Præceptorem (Sic enim legendum sequentia argumento sunt infallibili, non Prætorem Alciat. 2. parerg. 49) ita scripsit. Quoniam & cum patre meo semper fui, & me eloquentia & diligentia tua meliorem reddidisti, dono & permitto tibi habitare in illo conaculo eoq; uti, quæritur, nū defuncto Regulo possint hæredes eius habitationem prohibere, ratio dubitandi oritur ex l. Lucius 32. eod. quæ in eadem specie concessæ scilicet habitationis illud affirmat, facit quod hoc in casu precario concessa videatur habitatio, si enim donationem habitationis intellexerimus, frustraneè de revocatione eius quærimus, cum ea ut pote perfecta fieri nequeat, l. 18. h. t. constat autem precarium posse ab hæredibus revocari, quia ad eos transit l. 8. ¶. quod à Titio l. 12. in fin. ff. de precar. iuncta ratione l. in princip. de precar. (Covarr. 3. resolution. 15.) contrarium tamen decidit Papinian, non quod superiora non admittat, sed ex eo suæ opinionis rationem desumens, quia non mera donatio est, verum officij à Nicostrato præstiti quædam remuneratio. Si remuneratio & quasi solutio erit, l. 10. ¶. si domini ff. de in rem vers. aut permutatio l. sed & si lege ¶. consuluit ff. de petit. hæred. (Cuiac. 17. observ. 33.) remunerationis argumentum colligitur ex epistola ad Nicostratum emissa, *quia me eloquentia & diligentia tua meliorem reddidisti.* hoc est, ut Senec. 6. de benefic. 16. ait, quia quæ scivisti non malignè dispensasti, quo diutius esses necessarius, sed cupivisti, si potuisses, omnia transfundere (Petr. Faber. ad l. 176. ¶. infinita de Reg. Jur.) non igitur eam restrictè, sed latè accipi & interpretari optimus Papin. putavit, nec hæredum Reguli arbitrio, sed vitæ Nicostrati spatium concludi, quod si igitur expulsus à grati discipuli ingratis hæredibus Nicostratus veniat ad iudicem: ad exemplum interdicti, quod fructuario proponitur defendendus erit, quasi loco possessoris constitutus, qui usum cœnaculi accepit.

## XVI.

*Donatio inofficiosa non in solidum, sed ratione saltem legitima portionis rescinditur.*

l. Quia



1. Quia in l. 4. C. de inoff. donat. statuitur, quod pinguis matri succurratur per restitutionem in integrum, quam per querelam inofficiosa donationis, at qua ratione illud fiet? non sane alia, quam quod per restitutionem in integrum res in eum reponatur statum, in quo autem fuit l. quod si minor ff. restit. ff. de minor. l. 1. C. de sentent. pass. consequens ei igitur non illud per querelam fieri. 2. Quia quantum ad submovendam inofficiosi testamenti querelam relinqui necesse est, tantum etiam detrahetur ex immodicis donationibus per querelam inofficiosa donationis, sensus est l. 5. Cod. eod. nunc autem cuius constat, quartam legitimam excludere inofficiosi testamenti querelam, ergo & eadem portio excludet querelam inofficiosa donationis. 3. Quod immodice gestum revocabitur inquit l. 7. C. eod. at immoderate gestum saltem intelligitur, quatenus legitima salva non manet Novel. 92. c. 1. ea enim si salva sit, non poterit queri l. 6. C. h. t. 4. Evidenter illud confirmat l. 8. ibi pro ratione quartae ad instar inofficiosi testamenti convicti diminuetur C. eod. Praecipuum argumentum Anton. Fab. 3. coniect. 17. est quod inofficiosa donationis querela sit ad exemplum querelae inofficiosi testamenti recepta l. ult. C. eod. At qui ius querelae inofficiosi sic comparatum est, ut qui egit, & obtinuit, recisso testamento, non Falcidiam duntaxat, quam vulgo legitimam vocant, sed & universalem haereditatem consequatur, si forte solus sit, aut si alius aequae proximus adsit, eam saltem portionem quae ab intestato eum contingit l. mater 19. & pass. de inoff. testam. idem ergo in querela inofficiosa donationis obtinere dicendum est, ut pro ea parte rescindatur, quam ab intestato haberet is, in cuius fraudem facta est, si donatio facta non esset. R. in plurimis utramque querelam comparari, in multis rursus differre, de quibus Gloss. ad d. l. ult. C. h. t. inter differentias utriusque haec vel praecipua est, quam Faber non admittit, nos certissima iuris ratione propugnamus, qui enim querelam inofficiosi testamenti proponit, querit se inique exheredatum aut praeteritum, adeoque totum testamentum cuiusdam impietatis inculpatur, quod & individua testamenti natura efflagitat, cum constet illud pro parte valere, & pro parte non valere haud posse ff. haereditas inst. de haered. inst. At in donatione longe aliter sese res habet, ea enim utpote contractus vel actus inter vivos nullo remorante facile pro parte corrumpi poterit, ut sic donatarius gaudeat liberalitate donantis, liberique legitima portione fruatur. Opponit insuper Faber l.

Titia. 87. Imperator. de legat. 2. ad quam (inquit) statentur omnes  
planè nescire se, quid commode responderi possit, explicavit  
eam Cuiac. 5. obs. 14.

XVII.

Ad l. 35. C. h. t.

*Donatio omnium bonorum valida est.*

1. Quia in specie l. 5. C. de inoff. donat. omnium bonorum  
donatio proponitur, & quidem valida, sed ex accidenti natis fi-  
lijs vel nepotibus saltem ratione quartæ rescinditur, quibus non  
natis argumento evidenti nulla ex parte rescinderetur, similes  
argumentationes suppeditant pleræque leges sub. d. tit. C. de in-  
off. donat. scilicet l. 1. 2. 3. 4. & 8. alterum argumentum desumo  
ex l. 19. & l. 49. l. 50. de re indic. l. Divus Pius 28. l. in condemna-  
tione de R. l. quibus in locis donatorem non ultra id quod fa-  
cere potest, conveniendum esse dicitur, consequitur ergo omni-  
um bonorum donatio sit valida, eo enim non posito, quomodo  
ex liberalitate sua inops periclitabitur? cum ne per leges id ei  
quidem liceret, quod nugatorium est, imo hoc posito tum vel  
maximè periclitabitur, efficax est ergo omnium bonorum do-  
natio, probat & id verbis clavis d. l. 35. §. sed et si quis C. de don.  
& alijs Vaud. 1. q. 31. Coras. 6. misc. 17. & leve est quod nostros  
in transversum rapuit, privatio liberæ voluntatis ultimæ, quip-  
pe quos falso ex fundamento omnibus eam præcisè affingere  
constat, libera enim cum ea voluntas sit, consequens est & liberè  
pro libitu omittente eam licere, nec facile tam erit donator avi-  
dus huius, ut non malit ea sine quam nudum sive re nomen re-  
linquere, quam tamen si avidius quis affectet, habere poterit  
hæreditatem, cum ea sine ullo corpore, iuris intellectum habeat  
l. hæreditas 50. de pet. hæ. quæ tamen expectantè hæredem, mi-  
nimè oblectabit, sed sub persona hæredis verū commovebit lu-  
ctū, pessimi præsumunt pessimè donatariū mortè donantis ex  
nimia hac donatione affectare, quos merito probiorum damnat  
sincerior affectus, maximè illis ipsis attestantibus, unumquemq;  
natura bonum præsumi (iuridicè) donec de contrario probetur,  
quod si probaverint mulctabimus hunc donatariū donatione  
omnimodè l. ult. C. de R. ev. don. & cessat hæc præsumtio cū res do-  
nata tradita sit, quod nec ipsi nisi bis pueri, negabunt, ut nec eo  
casu, si ulla sine conditione promissa sit, cum puræ obligationis  
in promptu sit petitio, illa autem adiecta propter accretionem  
bonorum, natura enim quisq; industrius censetur arg. l. 25. de  
probat, quàm diutissimè donantem superesse sperabit donata-  
rius.

Ad

## Ad l. si unquam, 8. C. de Revoc. donat.

*Constitutio l. si unquam C. de Revoc. donat. pertinet  
saltem ad patronum.*

Affirmant communiter moti eo præcipue, quod constitutionis eius ratio æquè in omnibus donatoribus valet, nempe coniectura pietatis, quia verosimile est, neminem extraneo donaturum fuisse, si de liberis postea natis cogitasset l. cum avtis ff. de condit. & demonstr. l. 6. q. cum a. C. de inst. & sub. quæ ratio non tanti apud me valet, ut contra iuris rationem eam amplecti velim, cum nec satis logica sit, quod hic attendendum vel maxime contendo. In novo iure constituendo evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo iure, quod diu æquum visum est inquit Vlp. l. 2. de const. princ. quæ in casu nostro evidentissima, antiquo enim iure nulli donatori licebat propter agnatos sibi liberos donationem revocare, quod mox probabo, si de utilitate & æquitate d. constitutionis primum dixerò, nam & ad arguendam falsitatem superioris rationis facit, quis enim inæstimabile libertatis beneficium liberto à patrono collatum negat? quis non propter idem maxima quæque ipsam patrono debere confitebitur? l. generaliter ff. de in ius voc. l. antepen. ff. de obsequ. parentib. & c. l. quod attinet de R. I. iure Romano & moribus antiquis ingratus libertus in servitutem redactus fuit, formulam Prætoris refert Val. Max. 2 c. 1. Super sedeo te habere civem tanti muneris impium æstimatorem, nec adduci possum, ut credam urbi utilem, quem domi scelestum cerno, abi ergo. & esto servus, qui liber esse nescisti, at nonne hæc ingratitude summa, si libertus patroni bonis ferociens patitur per summam egestatem eius liberos perire, ut vel hæc ratio summe hanc constitutionem suaserit, quæ tamen in cæteris non obtinet, ut potè adversus quos nec ingrati actio prodita fuit, propterea (quod ut Cicero ait) nulla fora, nulli recuperatores his suffecturi fuissent. in Doctorum itaque ratiocinatione committitur fallacia non causæ ut causæ, nunc probo quod superius pollicitus sum, quod & evidenter hanc novi iuris constitutionem esse ostendit, iure nostro si parens facultates suas per donationes vacuas fecerit, postea natis liberis datur saltè querela inofficiosa donationis ad obtinendâ quartâ l. 1. 2. 3. 5. 8. & aliis C. de inoff. don. (ut dixi sup. q. 16.) nec in totum ea rescinditur, unde nunc altera probatur & manifestissime d. l. si unquam, specialitatis ratio demonstratur, si à parente facta fuerit donatio non tamè inofficiosa, nullo iuris remedio rescinditur d. l. 1. 2. 3. & seq. C. de inoff. don. at in  
specie.

specie d. l. si unquam, etiam si pars aliqua substantiæ donatoris donata fuit, nihilominus revocatur, quod ut firmissimum novi iuris fundamentum notamus, quinimò iure nostro satis bene provisum est, ob solam ingratitude donationem revocari ¶ sciendum Inst. de donat. l. final. C. de Revocand. donat. in supervenientia autem liberorum nulla est ingratitude, quin gratitudo potius, cum in eos ut rivulos sua cum voluptate derivare magnificentiam cernet non invidus donator, adde si propter liberos donationem revocari dixerimus, nos contra donationis naturam puræ & simplici donationi conditionem asringere l. 1. ¶. 1. de donat. l. 35. ¶. sed mortis, de donat. cum mort. & quid multis? in dubio id quemque velle, quod verbis expressit, præsumimus, verba enim inventa sunt ad cogitationes hominum in alterius notitiam deducendas c. is autem 22. q. 2. l. labeo circ. fia. de supell. legat. Lingua enim Imperator est cordium ut inquit Baldus in c. mandatum extr. de rescript. Tiber. Decian. vol. 3. resp. 104. n. 5. 6. verba autem d. l. si unquam, loquuntur saltem de Liberto nec valet Dd. responsio, leges in Codice ad speciem facti accommodatas, generaliter intelligendas nihilominus esse, quia ut rectè Faber 7. coniecit. 14. animadvertit, non obtinet in ijs constitutionibus quæ ad Præfectos Prætorio scribuntur, cætera quæ pro confirmatione huius sententiæ facere videntur, habent Conan. 1. comm. 10. Hotom. & Donell. ad l. si unquam Fab. d. c. 14. 15. opponuntur l. cum tale 72. ¶. 1. de condit. & demonstr. l. 1. C. de revocand. donat. l. 3. C. de donat. de quibus omnibus vide Franc. Hotom. 1. amicable. resp. 12.

DISP. XVIII.

155094


AB 155 054


ULB Halle 3  
004 829 352



VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Cyan	Light Green	Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Blue	Green	Yellow	Red	Magenta	White	Dark Gray	Black

4

TIO  
 ARVM  
 na.  
 ORVM  
 NIBVS,  
 NVNCIA-  
 TIONIBVS.

ritate,  
 B  
 ssimoq, Viro,  
 CO ARV.  
 V. D.  
 Academia Ienensi,  
 Gtor. defen-

ur,  
 EDIGER  
 ilef.  
 y, hora locoq,  
 AE  
 Lithandreano,  
 O 2.

